Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2193
Quelle:
Copyright:

dicelles. Icones passim quadrifariam sectae totidem repraesentationes exhibent. Ridiculum, pluries comparere *Eliam* Prophetam Carmelitani habitu, neque satis biblicum *fol.* 3. praeter panem etiam pernam illi a corvo adferri. Picturae ceterum eadem ratio, quae in Libellis precatoriis *Parisiis* exeunte Sec. XV. ab *Ant. Verard. Phil. Pigouchet, Sim. Vostre* &c. in membrana excusis, unde et praesentem *Parisiis* scriptum censeo. Possedit illum an. 1585. e *Rogendorfiis* nostratibus quidam, cui pro Symbolo, uti solebant: *Forte Fortune Force* q. d. Fortem FortunaeArbitrum esse.

DCCCCXXI.

C. 949. Codex membraneus lat. ital. Sec. XV. Folior. 256. 12. liquore peculiari fulgido argentum, aut verius chalybem politum referente eleganter exaratus, Literis non tantum initiorum, sed marginibus etiam passim auro florulentis, Icunculis VIII. artificiose depictis ornatus, adlatusque e Parthenone *Halensi Tyroleos* diversa primum pietatis exercitia hoc ordine continet: Formulam Confessionis, Missam de B. V. *Maria*, Officium de eadem, Psalmos *graduales* orationibus ad eandem interstinctos adhaerentibus Litaniis ad earum modum, quas *Lauretanas* vocant, Psalterium *Hieronymo* perperam adscriptum, Psalmos *Poenitentiales* cum Litaniis SS. et de Cruce, et aliis de B. V. Psalmos selectos inscriptos *ad deuotionem crucifixi;* dein vero *fol.* 157. succedit Συλλογη variarum Sententiarum de diversis Virtutibus et Vitiis in *Capita* XLV. digesta, auroque ita inscripta: *Questo libro sie componudo dela scriptura deli sancti doctori dela scriptura diuina et deli phylosophi naturali. Et sie fata per la salude de lanima et del corpo.* Sequitur Index *Capp.* eadem veteri lingua *Italica*, quae in multis monet *Hispanicae*, tum ipsum C. I. hoc initio: *De Humilitate. Ubi est humilitas ibi est sapientia. En quela parte sie sapientia oxe* (ove?) *humilitade. Quanto major es humilia te in omnibus. Quanto tu e maçor en tute cose piu te humilia* &c. Atque ita cuivis Dicto sua subjicitur versio, sed index ille praevius infidus est; ultra illum enim excurrunt XXIX. alii Articuli morales, quorum ultimus *De fornication* ita terminatur: *Non meio se po uençere le femene come fuçirle. Fol.* 231. Resumuntur Orationes variae, atque inter eas Hymnus *Stabat mater* &c. usque ad finem. Libellum ad usus cujusdam e Domo *Burgundica* scriptum fuisse arguitur e Scuto gentilitio *fol.* 23. visendo; cum vero *fol.* 154. p. 2. in Scuto cujusdam Genii *Lilium Provinciae* compareat, fortasse *Catharina* Ducis *Johannis* filia respicitur, quae a. 1410. Comiti *Guisio Ludovici Andegavensis* et Com. *Provinciae* filio desponsa, sed remissa *Gandavi* deinceps obiit.

DCCCC-